

## CAP. III.

## DE BONI PASTORIS IUSTITIA

Iam ut ad administrationem iustitiae, quae *regnorum funda-*  
*mentum*<sup>1</sup> a S. Scriptura dicitur [ac revera non tantum prophani regi-  
minis, sed et ecclesiastici quam maxime principium est] pertractandam  
deveniamus, propositi nostri ratio postulat. Enimvero ut Pastores sacro  
veluti officio teneantur haec ipsa iura revereri, quod *iustitia ius suum*  
*cuique tribuens*<sup>2</sup> praestat, de qua scriptum legimus: *iustitia Rectorum*  
*liberabit eos*<sup>3</sup>. Propterea animarum Curatores veluti sibi dictum illud  
existiment: *Facite iudicium et iustitiam*<sup>4</sup>.

Porro iustitia, nostrae tractationis argumentum erit; in qua, tam-  
men, illam minime ab aequitate seiunctam volumus, quae illius vo-  
luntatis adeo temperat imperia ac agenda adeo componit, ut numquam  
ad illud summum ius [quod summa iniuria a Tullio rectissime dicebatur,  
atque, toto caelo, ab evangelica distat mansuetudine] pertingat, immo  
ne admittatur quidem. Coeterum, omissis philosophicis ac iuridicis sub-  
tilitatibus [quae in hac tractatione practica minime opportunum sibi  
locum invenirent], de actuosa tantum iustitiae parte, negativa nempe  
ac positiva solliciti sumus. Qua agendi ratione, non quidem tricas vi-  
tandi commoditate, sed maxime brevitas ac perspicuitas gratia, incep-  
endum nobis visum est.

## Articulus I.

## DE BONI PASTORIS CORRECTIONE GENERATIM.

Quemadmodum sua peritus arte agricola non tantum situs, solis ac ali-  
menti varietatem vitibus excolendis opportune distribuit, sed etiam,  
supputatione usus, foliis ramisque superfluis ac noxiis illas exuit, caete-  
raque contraria sollicite depellit, ita Pastor bonus, quandoque christi  
fideles admonere ac corrigerere [etsi cum charitate maxima] pro oppor-  
tunitate debet.

<sup>1</sup> Prov. VIII, 16.<sup>2</sup> S. Thom. II<sup>a</sup> q. 53, ad I.<sup>3</sup> Prov. XI, 6.<sup>4</sup> Ierem. XIII, 3.

## § I. — De correctionis necessitate ac obligatione.

SUMMAE RERUM. — 122. De correctionis Pastorali in regime necessitate. — 123. Of-  
ficium corrigendi fideles quam graviter Pastori imponatur. — 124. Huius  
obligationis fontes qui sint. — 125. Quaedam in re excusationes refelluntur. —  
126. Conclusio.

122. — Generalem humanae misellae naturae condicionem con-  
siderantibus indolem, christifidelium correctionis necessitas  
aperto patebit. Humana, enim, natura [Protoparentum sauciata peccato]  
adeo ad malum semper prona est ut, nisi Divinae Gratiae adiumentum  
ac proborum hominum emendationes multum accedat, vix per iustitiae  
veritatisque semitas incedere valeat. Enimvero, *postquam a Paradisi*  
*gaudiis expulsum est genus humanum, in istam peregrinationem praes-*  
*sentis vitae veniens, caecum cor a spirituali intellectu habet*<sup>1</sup>. At in re  
nota haud immorari praestat.

123. — Gravissimum quo Pastores subditos corrigendi debitum  
detinentur ex dictis effluit, ut et Gregorius aperte fatetur scri-  
bens: *Suscepti regiminis curam constringimur officii nostri sollicitu-*  
*dinem vigilanter extendere, et fratrum nostrorum animos sermone admo-*  
*nitionis instruere, ut nec ignorantes prae*sumptio* prava decipere, nec*  
*scientes dissimulatio quaedam valeat excusare*<sup>2</sup>. Suorum, enim, fidelium  
animae [de quibus tremendo iudicii in die arctissimam rationem reddi-  
turus Pastor est], apostolatus adiumentum, proximorum omnium aedi-  
ficatio, [quae a correctione pendent] Praeposito concredita sunt; quae  
si quoquomodo negligat, non Pastor sed mercenarius, immo et pro-  
ditor ipse erit.

124. — Sed huius debiti fontes persequi nostrum est, quae his  
paucis redeunt:

a) Non ex caritate tantum, sed et iustitia ad correctionis offi-  
cium Pastores tenentur, ut Angelicus perbelle monet Doctor scribens:  
*Duplex est correctio: una quae est actus caritatis quae specialiter tendit*  
*ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, et*  
*talis correctio pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive subditus*  
*sit, sive Praelatus. Altera quae est actus iustitiae per quam intenditur*  
*bonum commune..., et talis correctio pertinet ad solos Praelatos, qui non*

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. in *Cantic. Can-*  
*tic.* in preom.<sup>2</sup> Epist. Lib. IX, Indict. II, Epist. 68  
*Ad Eusebium Thess.*

solum debent admonere, sed etiam corrigere puniendo<sup>1</sup>. Pergens vero S. Doctor, hanc Pastoris corrigendi obbligationem adeo urget ut et occasionem ad hoc querere iubeat, ut, nimurum, debitori creditor ad solvendum quaeritandus est. Enimvero fraterna correctio a pastorali omnino diversimode se habet: dum, enim, prima ad certos emendandos errores movet, altera vero dubios quoque, nonnumquam, spectare poterit. Si vero privatus fidelis [praeter supremae necessitatis rationem] ut fratrem corripiat, haud grave subire discrimen cogitur; Pastor autem [ut Soti aliorumque Doctorum sententia est] veniale quoque praepedire culpam, posita quoque vita, tenetur. Nec satis, sed privati corripiendi officium, emendationis spe cessante, omnino cessat; Pastorem vero vel contra ipsam spem manet. Tandem, evangelicum iuxta praeceptum, si aequalis et fratrem interdum corripere et Ecclesiae denuntiare peccantem tenetur<sup>2</sup>; Pastor vero et minitari, et [si opus fuerit] animadvertere ut culpa tollatur, atque commune bonum sarciatur, ex conscientiae debito adstringitur. Profecto bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit; Praelatis vero propria vita non sufficit<sup>3</sup>; quia eorum officium sua solum flere non sufficit, nisi et de alienis sollicitudinem gesserint<sup>4</sup>.

b) Correctionis officium neque locorum, neque personarum patitur limites, illud iuxta Apostoli: *sapientibus et insipientibus debitor sum*<sup>5</sup>. Non tantum, igitur, mali, sed et boni cum cadunt admonendi sunt, ne, inscitia vel malignitate, ad peiora proruant. — Ut vero Pastoris vigilantiae munus fideles omnes afficit, ita et locos omnes spectat; nam *quid prodest cuncta muniisse, si per unum locum perniciousus hosti praebeatur accessus?*<sup>6</sup> Dum vero fidelibus extra canonicam degentibus Pastor prospicit, nec domesticorum obliscatur, quorum culpae [si habeantur] non tantum subditis, sed et Pastoribus ipsis magnum saepe afferunt detrimentum. *A domesticis inchoare volumus disciplinam, ut reliquos pudeat errare quando nostris nos cognoscunt excedendi licentiam non praebere*<sup>7</sup>. Se suo in loco ad rem plura<sup>8</sup>.

c) Ad corripiendum Pastor a deo tenetur ut si omittat, Deo coram ac Ecclesiae alienae culpae sponsor efficiatur. Nam, *cum in suicto peccatum non corrigitur, in eos qui praesunt sententia retorque-*

<sup>1</sup> II, IL<sup>ac</sup> q. 33, art. 4.

<sup>2</sup> Cfr. Matth. XVIII, 15, 16, 17.

<sup>3</sup> S. Gregor. Magn. Epist. Lib. XII, Indict. 5, Epist. I. *Ad Dominic.*

<sup>4</sup> Id. Moral. Lib. XIV, Cap. 5.

<sup>5</sup> *Ad Roman.* I, XIV.

<sup>6</sup> S. Gregor. Magn. Epist. Lib. IX, Indict. II. Epist. 106. *Ad Syagrium.* ecc.

<sup>7</sup> Cassiodorus, Lib. X, Epist. 5.

<sup>8</sup> Cfr. indic. alphabetic., *Ancilla, consanguinei.*

tur<sup>1</sup>; enimvero qui emendare potest et negligit, particeps procul dubio delicti se constituit<sup>2</sup>. Pastoribus, enim, dictum est: *custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius*<sup>3</sup>; et recte sane, quum ipsi *pervigilent quasi rationem pro animabus... reddituri*<sup>4</sup>. Nil mirum, igitur, si Pastores boni, ne si a pravorum correptione cessarent pro eorum damnatione puniantur, valde metuant; si cum ad verba invective inflammantur, inviti quidem veniunt, sed tamen hanc defensionem sibi apud districtum Iudicem praeparant. Quod lacrymabilis Heli historia nos docet, qui de filiorum culpa damnatur cuius peccata nulla referuntur<sup>5</sup>. Praepositos, enim, multos perire quia quod alii admittunt illis imputatur D. monet Augustinus, et si non corrigan delinquentes illud Ezechielis locum obtinet: *Si non fueris locutus ut custodias se impius a via sua, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram*<sup>6</sup>. — Tandem pastoralis regiminis munus potiusquam honor, onus habendus est, et si quis christifidelium neglexerit correctionem, potestatis sibi collatae non ad eorum, sed ad suum abuteretur commodum, quod sane iniquum. At tollite ab eo talentum [ait Dominus] et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium<sup>7</sup>. Paroeciae, cum castris, vel munitis oppidis quorum ex vallis vigiliae constitutae proditores ab ingressu praependunt, vel immissos forte depellunt, iure meritoque comparantur. Quamobrem ut qui notos sibi proditores tuentur fractis acramenti rei habendi sunt, ita Pastores qui sua e Paroecia [in quantum prudentia suadet] culpas expellere neglexerint, maiestatis rei apud Deum ac ipsam Ecclesiae efficiuntur.

125. — Ad hanc effugiadam obligationem quaedam, interdum excusationes a quibusdam in medium afferri solent, quas refellere nostrum est. Quidam enim aiunt:

a) Si fidelis corripietur ingratus ei efficiat; sed si Pastor recte sapit, nec christifidelium humilitatem, nec eorum superbiam formidat. Ut vero medicus qui tunc tantum ferro et igni uteretur cum grata aegrotanti reputaret haud laudandus esset, ita Pastor qui in fidelem tunc tantum animadverteret cum gratam ei correctionem aestimaret, improbandus esset. Frustra, enim, correctionem gratam fore subditis Pastor confidat: quis facile invenitur qui velit reprehendi, et ubi est

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn., *Homil. in Ezechiel.* Lib. I. Hom. 11.

<sup>2</sup> Id. Epist. Lib. XI. Indict. 4. Epist. 69, *Ad Brunechild.*

<sup>3</sup> III Reg. XX, 39.

<sup>4</sup> *Ad Haebr.* XIII, 17.

<sup>5</sup> Cfr. I Reg. IV.

<sup>6</sup> 18, 338.

<sup>7</sup> *Matth.* XXV, 38.

ille sapiens de quo dictum est: *argue Sapientem et diligit te?*<sup>1</sup> Numquam tamen ideo non debet reprehendere, corripere subditum ne securus tendat ad mortem? *Sicut nitrum aspersum aceto crepitat, ita cor... aqua sapientiae salutaris aspersum, id est, quantumcunque suavi correctione tactum, ebullit irascendo, et crepitat murmurando.*<sup>2</sup> *Correctio pertinens ad Praelatos non est dimittenda propter turbationem eius qui corrigitur*<sup>3</sup> Angelicus docet. Crudelitas, enim, est non misericordia misericordem esse ubi severitas est necessaria; homicidium est mitem esse et segnem ubi in suam animam crudelis fidelis extat. *Qui proximi mala respi- ciunt et tamen silentio linguam premunt, et, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, et eo mortis auctores fiunt quo minus quem poterant curare noluerunt.*<sup>4</sup> *Oh! infelix amicitia quae illum quem diligit tacendo diabolo tradit!*<sup>5</sup> *Noluit David contristare spiritum Amos quoniam diligebat eum*<sup>6</sup>, illumque in ruinam corruere sinit. Iacob Ruben non corripuit, qui itaque libito faciens [paternum foedando talatum] *principium doloris eius*<sup>7</sup> factus est. Heli filios quos diligebat admonere recusavit, et reprobatus est<sup>8</sup>; Prophetae videntes falsa et stulta quae in Sanctam Civitatem perpetrabantur, ne Ierusalem contrastarent, non aperierunt iniuritatem suam ut eam ad poenitentiam provocarent, et ut Israelitici Populi proditores a Sacris renuntiantur Litteris<sup>9</sup>. — Expedit itaque ad rectum pastoralis regiminis exercitium praeclera fortitudine uti, cuius tantum ope humani metus vincuntur; si, enim, popularem quaerendo gratiam, *ab increpatione reticemus quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus, non iam lucra Dei, sed nostra quaerimus*<sup>10</sup>. Idcirco Pastor bonus, sciens quia etsi fideles ad tempus adhortatio sua contrastat, postea tamen [deposita contentionis intentione] laetificat, *quidquid prodesse potest facere, Deo auxiliante, nequaquam omittat*<sup>11</sup>. Reliqua vero Deo committat, qui non an fidelibus placuerit, sed an suo officio rite satisficerit illi exposcit. Quod et Apostolus nos docet aiens: *si adhuc hominibus placerem servus Christi non essem*<sup>12</sup>; quin immo ad Corinthios scribit: *Etsi contrastavi vos in epistola, non me poenitet: etsi poeniteat, videns quod epistola illa [etsi ad horam] vos contrastavit, nunc gaudeo: non quia contrastati estis, sed quia contrastati*

<sup>1</sup> Prov. IX, VIII.<sup>2</sup> Ug. Card., Sup. Prov. Cap. 25.<sup>3</sup> II<sup>a</sup> II<sup>a</sup>e, q. 33, art. 6.<sup>4</sup> S. Gregor. Magn., Regula Pastoral.

Par. III, Cap. 1.

<sup>5</sup> S. Ambrosius, in Apocalyp. Cap. 8.<sup>6</sup> II Reg. XIII, 21.<sup>7</sup> Genes. XLIX, 3.<sup>8</sup> I Reg. IV, 11.<sup>9</sup> Thr. II, XIV.<sup>10</sup> S. Gregor. Magn., Moral. Lib. XX

Cap. 24.

<sup>11</sup> Id. ibid.<sup>12</sup> Ad Galat. I, 10.

*estis ad poenitentiam: contrastati, enim, estis secundum Deum...*<sup>1</sup> Tandem nullus Pastor contumacibus subditis carus fit, cuique illa Bernardi iteranda veniunt: *vitia carpens, scio me offendere vitiosos*<sup>2</sup>. Coeterum in voce frementis, appetit spes resurgentis, et si industrias inferius ad rem indigitatas sedulo servaverit Pastor, hanc in correctione ingratitudinem multum saltem imminuet

b) Optimum christifidelibus praebeo exemplum, pro eis oro et satis est. Verumtamen ille cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, et tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus qui eo tacente peribunt peribit<sup>3</sup>. Bonum [immo praeclarum] subditis praebere exemplum [uti diximus] gravissimum Pastoris debitum est; nisi enim prius in se faces ardeant, alios non succedunt<sup>4</sup>. At, ut plurimum, hoc non sufficit, et ut Servator Noster coepit facere et docere<sup>5</sup>, ita Pastor bonus adeo non solum bona agere, sed et mala in animabus sibi commissis emendare ut linguae suae exhortatione discant quod metuant, et doceantur quod diligent, omnino decet; quod et Apostolus suadet de Praeposito monendo: *Oportet esse... doctorem*<sup>6</sup>. *Non solum mundus, sed et mundans*<sup>7</sup> Pastor esse debet, et quomodo fideles, verbo docuerit atque emendaverit Deus ab eo expostulabit. — De coetero Pastores qui eo modo operentur, non modo bonum haud praebere fidelibus exemplum, sed, contra, scandalo eis futuros animadvertissest. Praecipuum Pastoris munus correctionem ac castigationem esse fideles profecto sciunt, quod si eum negligere conspexerint, et malum exemplum eius ex incuria capessunt. — Neque orationis studium a correctionis officio Pastores excusandos sufficit. Pro certo nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam<sup>8</sup>, at, dum in corde dormit oratio, vigilet in ore correctio. Doctores, enim, Ecclesiae Apostoli omnia faciebant, et praecepient quae fierent, et corripiebant si non fierent, et orabant ut fierent. Nemo, ergo, dicat non esse corripiendum qui exorbitat a via iusta, sed ei redditum et perseverantium a Domino tantum esse posendum: nemo prudens et fidelis hoc dicat<sup>9</sup>.

c) Etiam si corripuerim nihil proficiam. At an revera nihil in correctione profuturus sit Pastor recognitus; nam nil tam durum quod

<sup>1</sup> II Corinth. VII, 7.<sup>2</sup> In Apologia ad Guillel.<sup>3</sup> S. Prosper. Aquit., De Vita Contempl. Cap. 2.<sup>4</sup> S. Gregor. Magn., Epist. Lib. IX, Indicit. 2 Epist. 121, ad Leandr. Episc.<sup>5</sup> Act. Apost. I, 1.<sup>6</sup> I Timoth. III, 2.<sup>7</sup> S. Gregor. Magn., In I Reg. lib. IV, cap. 4.<sup>8</sup> Psalm. CXXVI, 1.<sup>9</sup> S. Augustin., De Corrept. n. 5.

duriori non cedat, et nihil est in rerum natura quod diligentia non corrigitur; neque vitium est adeo grave quod, Dei timore, non pervincatur<sup>1</sup>. Non deiiciendus, igitur, est animus, neque ex rei difficultate, aut morbi magnetitudine, vel nostrarum virium imbecillitate metienda res est; sed in verbo Domini, cum patientia et spe, ad curationem accedendum<sup>2</sup>. Si, enim, agricultura convertit stirpium qualitatem, et disciplinae assiduitas mitigare potest quaslibet aegritudinibus passiones<sup>3</sup>, et dum in corpore vivitur, nullius est negligenda correctio, nullius est desperanda reparatio<sup>4</sup>. Si Misericors Deus de peccatoris salute numquam diffidit, cur Pastor bonus [qui Eius apud fideles vices gerit] de filiorum emendatione diffidere potest? Aliquos, interdum, dura fronte ac indomito corde, paternis Pastoris argumentis ac admonitionibus recalcitrantes haberi subditos, certum est; at an etiam indomabili animo sint nescimus unde cognoscere quis possit; apud, enim, Deum [qui de lapidibus suscitavit filios Abrahae] non erit impossibile omne verbum<sup>5</sup>. Quis scit si revertantur et ignoscant, convertat et sanet eos? *Enimvero, etsi hodie verbis tuis non obtemperet, postea obtemperabit, et si neque secundo vel tertio admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem, forte erubescet et, reveritus tuam curam, ab his quae offendunt desistet...* Ne dicere desinas... Non videtis quanta omnium Deus nos longanimitate tolerat, et quomodo quotidie negligimus obtemperare eius mandatis, et neque sic cessat a cura nostra? Simili modo, et nos erga fratres bene affecti numquam faciamus negligentiam, et obluctemur maligno illi demoni ut irritos eius faciamus conatus<sup>6</sup>. — De coetero non peculiaris tantum peccantis, sed et generalis totius paroeciae utilitas in correctione spectanda est: saepe, enim, dum unus corripitur, plurimi emendantur<sup>7</sup>, et quibusdam punitis, plurimi corrigitur<sup>8</sup>; quo fit ut unius afflictio, multorum sit correctio<sup>9</sup>: quod et Apostolus admonet: *peccantes argue ut et coeteri timorem habeant*<sup>10</sup>. Idcirco, etsi correctio nullum apud peccantem sortiatur effectum, attamen apud coeteros salutaris extat, quod sane generali paroeciae bono valde prodest. — Insuper, etsi penitus apud omnes correctio vana fuerit, attamen Pastor ne diffidat, ne sileat, cum curam exegerit ab ipso Deus, non curationem. *Planta, riga, fer curam et tuas explicasti partes. Unusquisque secundum suum laborem accipiet, non*

<sup>1</sup> S. Augustin. *De Corrept.* n. 8.

<sup>2</sup> Acquaviva, *Industriae*, cap. 1.

<sup>3</sup> S. Bernard., *De Ordine Vitae*, 4.

<sup>4</sup> S. Ambros., *De Vocat. gent.* Cap. X.

<sup>5</sup> *Luc.* I, 37.

<sup>6</sup> S. Ioann. Chrys., *Homil.* 6 in *Genes.*

<sup>7</sup> S. Gregor. *Magn.* *Moral.* Lib. III,

Cap. 7.

<sup>8</sup> S. Augustin., *De Genes.* Lib. II.

Cap. 1.

<sup>9</sup> Id. *De Correct.* n. 8.

<sup>10</sup> *Timoth.* V.

secundum proventum. Unum est quod te absolvit, si sic egisti cum populo tuo ut possis dicere: *Popule meus quid tibi debui facere et non feci?*<sup>1</sup> Ezechieli, cuius admonitiones Populus Dei spernebat, ait Dominus: *Nolunt audire te, quia nolunt audire me*<sup>2</sup>. In quibus verbis magna est consolatio nostra, quia si Omnipotens Deus Prophetam mittens a perverso populo suo verba sua denuntiat difficile audiri, cur nos miseri contristamur cum saepe a fratribus in nostra admonitione contemnimus?<sup>3</sup> — Tandem an correctionis inanitas a subtili pertinacia, vel potius a corrigentis imperitia dependeat, Pastor attente consideret. Saepe, enim, amor proprius adeo oculum mentis claudit vel saltem obnubilat, ut culpam nostram in coeteros reiicere contendamus...

*d)* Si corripuerim scandalum afferam. Profecto, tum in privata, tum in publica admonitione ut bonus eius finis obtineatur, malum vero quod ex ipsa digni potest devitetur curandum est. At scandali metus a correctionis officio numquam retineat, quem Pharisei qui sive Pastor taceat, sive loquatur [eius verba corripiendo, vel silenter reprobando] scandalum accipient, semper habeantur. At aliter accipienda sunt scandalum pusillorum, aliter Phariseorum<sup>4</sup>; et memento non omnium scandalum magnopere esse curandum, iuxta verbum Domini: *Sinite illos, coeci sunt et duces coecorum*<sup>5</sup> Pastor autem cum in bivio constituitur aut vitandi scandalum, aut iustitiam [fidi] ac universae paroeciae debitam] laedendi, nullimode haerere potest. *Melius est, enim, ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur*<sup>6</sup>. Pastor igitur [normas inferius indigitatas adhibens] caute prudenterque agendo, emendationem sine scandalo assequi satagit, vel secus ut fideles de correctione laetentur, sed de culpa doleant, omni contendat nisu. *Gaudendum, enim, est de correctione facinoris, dolendum vero de casu fratrī*<sup>7</sup>.

*e)* Etsi ego non corripiam, per alios tamen correptionis munus adimpleo. Correctionum profecto officium non nimium frequenter a Pastore exercendum est, ne metus adeo crescat ut christifidelium in illum amor languescat. Eam ob rem Coadjutoribus uti [qui auctoritatem eius tueantur odiumque ei minuant] optimum, immo, necessarium est. At [attentis circumstantiis] tum per se, tum per alios ad fideles corrigendos,

<sup>1</sup> S. Bernard., *De Consideratione* Lib. IV, Cap. 3.

<sup>2</sup> III, 7.

<sup>3</sup> S. Gregor. *Magn.* *Moral.* Lib. XII Cap. 22.

<sup>4</sup> Id. *ibid.*

<sup>5</sup> S. Bernard., *De Praecep. et Dispens.* Lib. IV, cap. 2.

<sup>6</sup> Id. Epist. 44. *Ad Drogon. Monach.*

<sup>7</sup> S. Gregor. *Magn.* *Epistolar.* Lib. V, indic. X, epist. 58 *Ad Episcopos Hell.*

Pastor adstringitur, et qui correctiones omnes coadiutoribus demandaverit, suo muneri haud rite satisfaciet. Insuper cooperatoribus demandata auctoritas neque caritati, neque iustitiae, prudentiae et observantiae semper prodest; et iustitiae exercitium peculiare ac personale Pastoris munus extat, cui primo et directe christifidemum cura ab Ecclesia commissa est. Pastor, igitur ne, brevi, amaros fundat fletus, quasdam culpas per se, quasdam vero per alios corrigat. Linguae, igitur, vestrae exhortatione fideles discant quod metuant, et doceantur quod diligent.

**126.** — Ut vero officium deserenti suum excusationes numquam deficiunt, ita quidam [rosas sine spinis colligere avidi] a correctionis munere nimis facile se eximere contendunt. Si ex his lector sit, ut [in suae mentis sacrario positus] an huiusmodi negligentiae causa non tam in veritate, quam in nimio pacis quietisque amore reposita sit fideliter inquirat, fraterno humilique obsecramus ore. At *pax praesens ita tenenda est ut diligi debeat et contemni, ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur*. Unde admonendi sunt [Pastores] ne dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant, et consentiendo perversis, ab Auctoris sui se pace disiungant, ne dum humana foris iurgia metuant, interni foederis discussione feriantur<sup>1</sup>. Quantum, igitur, diligtat Deum in eo quod beneplacitum eius in se et in aliis promoveat, Pastor bonus ostendat. Nec ab hoc zelo per desidiam mollescat, nec labore fatigetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis deterreatur, nec per diuturnam pravae consuetudinis praescriptiōnem desperet, quin suum exequatur officium. Qua ratione tantum ex *canis mutis non valentibus latrare*<sup>2</sup> haud ipse erit, neque cum Propheta ingeminabit: *Vae! mihi quia tacui, vir pollutus labiis ego sum*<sup>3</sup>.

§ II. — De correctionis difficultate,  
ac de quibusdam ad illam exuperandam industriis.

SUMMAE RERUM. — 127. Animadversiones praeviae. — 128. Media ad rem opportuna indigitantur.

**127.** — Correctionis necessitatī gravissimāe respondent difficultates quas, ut superentur, tum indigitare, tum ad rem media proferre susceptae tractationis ordo iubet. — *Nihil, enim, correctione diffi-*

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. *Regula Pastoralis*. Par. III, cap. 22.

<sup>2</sup> *Isaiae*, LVI, 10.

<sup>3</sup> Id. VI, 5.

*cilius*<sup>1</sup> haberi potest, in qua tanta constantia ac robur, iustitia et clementia, moderatio ac prudentia et caritas opus est [quae per difficile uno in individuo simul coniunctae inveniuntur] ut, ad invicem compositae, dum iustitia exercetur, caritas non laedatur. Quod plane si spiritualia cum corporalibus comparamus morbis, luculentius appetit. In corporis, enim, medicina, omnia auxiliantur medico; in aegrotante, externis plerumque signis mala panduntur, quos dolor ipse revelat; aegrotus autem quam sanitatem recuperare nil magis cupit: quamobrem alacris ac docilis medico valetudinis desiderio redditur, eumque pharmaca libenter sumendo, in officio suo vehementer adiuvat. Insuper corpus, materiam, nimirum, visibilem ac palpabilem medicus tractat, ac antequam curatoris munus susciperet, longos per annos ad rem rationes studuit. — Contra spiritualibus in morbis adversus correctorem omnia conspirant; mala, enim, adeo profundissima plerumque sunt ut per difficile detegantur; aegrotus vero ipse sanum se putans, valetudinis recuperationem magis arduam efficit, quia *nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur*<sup>2</sup>. Tunc fit ut, non modo nulla sibi remedia aegrotus iste expetat, sed ut ea repudiet, vel ut eorum destruat effectus, omni nitatur ope. Eam ob rem aegroto plerumque nolente, obstante, vel saltem haud cooperante spiritualis medicus subvenire cogitur. Pastor vero non materiam sed spiritum tractat, cuius apta cognitio etiam illis qui in spiritualibus curandis morbis incanuere, perardua manet. Uno verbo, tum Pastoris, tum corrigentis passiones adversus bonum emendationis exitum adeo conspirant, ut eius assequitionem quam maxime impediant. — Non tantum, insuper, paroecian universam, sed singulos fideles corrigendi necessitas hanc difficultatem valde auget. Sed quum haec omnia per se perspicua sint, et ex dicendis clarius pateant, ad argumentum nostrum pressius sumptum statim transeamus.

**128.** — Ad has exuperandas difficultates media sic paucis perstrinximus:

a) *Vir Dei* Pastor sit, nam si adiunctum est in quo illam Apostoli sententiam, *pietas ad omnia utilis est*<sup>3</sup> locum obtinet, correctionis profecto tempus est. Divina, enim, collustrante Gratia, multa quae secus ignoraret Pastor cognoscit, et adeo prudenter ac caritative corrigit ut dum aceto pungit et oleo ungit, dum urit et linit, dum ferit et resarcit, quibus omnibus non sui, sed Dei causam ipse tuetur, ac tam

<sup>1</sup> S. Ioan. Chrysost., *De Correct.* lib. I, cap. 5.

<sup>2</sup> S. Gregor. Magn., in *Sept. Psalm. Poenit.* Psalm. IV, n. 2.

<sup>3</sup> I. Timoth., IV, 8.

pie, misericorditer, amanter, immo, fere devote tuetur ut, dum subditum stimulat et blanditur, et ad emendationem suavissime suadet ducitque. *Nihil tam probat spiritualem virum, quam peccatorum tractatio*<sup>1</sup>.

b) Bonum exemplum Pastor fidelibus adeo praebeat ut eius vita universa indirectum, at efficacissimum, illis monumentum sit. At de hoc iam diximus alibi<sup>2</sup>.

c) De corrigendi arte erudiatur Pastor, quum persaepe ex admonitione inexperti ducis, in baratum deductus sit subditus desperationis<sup>3</sup>. Ut, enim, persaepe, potiusquam morbo, medici inexperientiae aegroti mors tribuenda est, ita, interdum, potiusquam a peccantibus pertinacia, a correctoris imperitia emendatio in discriminine adduci potest. Ut, igitur, medicus non sibi doctor est, sed aliorum instruitur doctrina, ita tum ex divinis, tum ex humanis fontibus corrigendi artem Pastor addiscat.

d) Sit Pastor prudens, quum nonnumquam ex imprudentia Pastoris ii qui ad summam virtutis arcem et perfectionis fastigium facile concendissent evanuerunt..., et, quod deterius est, a sancto proposito resilunt<sup>4</sup>. Prudens, enim, Pastor leges non multiplicabit vanas, [quarum multitudo christiana observantiae negligentiam suadet, atque frequentes requirit admonitiones]: fideles colet et ab illis coletur, nimiam observantiam haud ipse exiget, sed suavitatem cum severitate, timorem cum amore, iustitiam cum misericordia, munus cum caritate, veritatem cum fide adeo coniunget, singulorum ingenii necessitatibusque se accommodabit, eisque pro adjunctis morem geret, ut multas sibi taedio plenas ac fidelibus ingratas correptiones cavebit, quibus, [sanctae caritatis gratia] pacem paroeciae comparabit. Sed de hoc superius diximus.

#### Articulus II.

##### DE CORRECTIONIS CONDITIONIBUS BONO IN PASTORE REQUIRENDIS.

A d correctionis finem feliciter obtinendum quaedam ex Pastoris parte requiruntur conditiones quas ita indigitamus:

- I) Iustitia,
- II) Discretio,
- III) Caritas.

De his correctionis conditionibus omnibus pree partes agendum.

<sup>1</sup> S. Augustin, in *Epist. ad Galatas*, cap. 6.

<sup>2</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Exemplum, Pastor.*

<sup>3</sup> S. Laurent. Iustin., *De Instit. et Regim. Praelator.*, cap. 11.

<sup>4</sup> Id. *De Disciplin. et perfect. monast.* Cap. 9.

§ I. — De iustitia in correctione servanda, et primum contra alienas ac proprias passiones obseruando.

SUMMAE RERUM. — 129. Generalis ad rem ratio indigitatur. — 130. Quae propriae passiones in correctione devitandae sint. — 131. Peculiares in re industriae quae. — 132. De alienis in re passionibus devitandis, seu de delatione ac delatoribus. — 133. Delatorum variae species. — 134. Eorum notae. — 135. Quomodo eorum insidiae arcenda.

129. — Pastorali in regimine nulla res est quae iustitiae flamine magis egeat quam correctio, Pastoribus perardua, animabus vero peringrata. Hoc, enim, in munere si iustitia defecerit, potiusquam assequendae salutis adiumentum, maioris perversiois instrumentum corruptio erit. Quod sane, ut per se perspicuum, haud demonstratione eget. — Ut autem correctionis fundamentum iustitia sit, sequentes conditions Pastorem servare operet, nimirum :

- a) Suas contra passiones sese muniat;
- b) Contra alienas se defendat;
- c) In inquirenda ac discutienda culpa sit iustus.

130. — Suas contra passiones se praemuniat Pastor; nam quum mundus ipse esse a vitiis debet qui curat aliena corrigeret<sup>1</sup>, ut corrector se ipsum primum corrigat omnino decet: enimvero, interdum, non tam fidelium negligentiae, quam correctoris ineptitudini errores tribuendi sunt. Igitur :

a) Superbia in correctione quam maxime devitanda; secus, enim, cum haec veritatis obstaculum ac omnium vitiorum mater sit, iustitiam ipsam funditus conficit. Tunc, enim, Pastor, dum de culminis reverentia gloriam affectat honoris, summa quae videre nequit, fidelibus nuntiare non potest: quum sub studio corrigendi erumpat libido apparendi, nihil nisi se ipsum corrector spectat, et potiusquam ad emendationem moveat, ad despactum deprimit, atque veluti brevissimo ad gloriam itinere aliorum castigatione utitur. Tunc Pastor tremendum magis quam mitis, iudex quam consolator esse mavult, in se alienae infirmitatis compassionem trahere et christifidelium imbecillitati misereri nescit, et dum caritatis viscera non habet, sub specie iustae increpationis, eorum bonum pessumdat. Enimvero nec culpas ipse distinguit, nec personas spectat; suspiciones pro certitudine habendo, dubia pro certis punit; ut redarguat culpas fingit, et ex fictis culpis sibi puniendo campum parat. Necesse, igitur, est ut Pastor in quibus alios reprehendit,

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. in *I. Reg.* Lib. III, Cap. 2.